



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1738. usque ad annum 1740

Fleury, Claude

Augustæ Vindelicorum, 1786

VD18 90119355

§. 13. Status Ecclesiasticus in Galliis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67878](#)

Sæc. XVIII. Præterea idem Rex Mense Octobri
A. C. 1738 novum Ordinem militarem erexit sub
 invocatione S. Caroli, cuius ipsemefo-
 ret supremus Magister, Cancellarius vero
 Gallianius primarius Regis Sacellanus,
 & in Thesaurarium electus est Bossue-
 tus.

§. XIII.
Status Ecclesiasticus in Galliis.

Singulari etiam studio Ludovicus XV.
 Franciæ Rex inter turbidas Ques-
 nelistarum machinationes pacem Eccle-
 siæ reddere, refractarios pœnarum se-
 veritate coercere ac Ecclesiæ discipli-
 nam restaurare nitebatur; eo fine a
 Clemente XII. Papa Apostolicum im-
 petravit diploma, vi cuius Parisiensi
 Archiepiscopo datum est negotium, ut
 Visitatoris Apostolici munere insignitus
 Congregationem Sanctimonialium de
 Calvaria lustraret, & Superiores ejus-
 dem Instituti Majores pro culpæ modo
 ab officio saltem ad tempus amoveret.
 Ceterum de hac caussa inferius plura.
 Interim idem Archiepiscopus Commu-
 nitatem Orphanarum pueri Jesu de-
 struere jussus erat. Mense autem No-
 vembri Rex pro hæresum extirpatione
 publicas preces per Archiepiscopum
 ïndici præcepit; quocirca die vigesima
 tertia

tertia ejusdem Mensis Parisiis solemne Sæc XVIII.
Sacrum eo fine celerabatur, ut Divi-
num Numen pro fidei Catholicæ in-
cremento, Christianorum Principum
concordia, & Sectarum eradicatione
exoraretur: Rem Divinam Brisacu-
Condomiensis Episcopus Pontificali ha-
bitu ornatus peregit, cui Cardinalis
Polignacus, decem Franciæ Episcopi,
pluresque primæ Nobilitatis Viri inter-
erant: Religiosissimi Regis exemplo ani-
mati Franciæ Præfules plura, eaque
insignia Zeli sui specimina in suis Diæ-
cesibus edere certabant, & quidem
Franciscus Baylion Atrebatensis Præful
Seminarium pro iis Sacerdotibus, qui
ob decrepitam senectutem sacrum mi-
nisterium obeundo impares fuerint, eri-
gendi facultatem a Rege petiit, qua
etiam facile obtenta, amplas ædes in
suburbio magno pretio coemit, & fa-
bricam suo ære absolvit. Mense autem
Aprilii Josephus Nicolaus de Paris Au-
relianensis Episcopus pro tota sua Diæ-
cesi mandatum cunctis Ecclesiarum
foribus affixum publici juris fecit, quo
omnibus Clericis vetitum, ne charta-
rum aut alearum lusu uterentur; quo-
niam vero Cathedrale hujus loci Ca-
pitulum sub cujusdam privilegii obtentu
Episcopalem jurisdictionem declinaret.
hinc illud motu veluti proprio pariter

ad

A. C. 1738.

Sæc. XVIII. ad omnes illius Ecclesiæ Canonicos &
 A. C. 1738. Sacellanos æquale mandatum dedit,
 eosque admonuit, ut juxta Sacros
 Canones & Conciliorum decreta a tel-
 feris, aliisque fortunæ ludis abstine-
 rent.

§. XIV.
*Duo Cardinales a Clemente XII.
 Papa inaugurati.*

Hispano Rege cum Clemente Papa
 plene conciliato, nil proprius esse
 videbatur, quam ut nova lis recens ob-
 ductam dissidii cicatricem refricaret:
 Illius occasio erat hæc: Anno hujus
 sæculi trigesimo quinto Pontifex, uti re-
 tulimus, Ludovicum Regium Hispa-
 niarum Infantem Romana decoraverat
 Purpura; Hic vero instigantibus Hi-
 spanis querebatur, se nonnisi titulo
Eminentissimi a ceteris Cardinalibus,
 Romanisque Proceribus honorari, cum
 tamen utpote Regius Princeps *Ser-
 nissimæ ac Regie Altitudinis* prærogati-
 vam natalium jure sibi deberi crederet:
 Verum ceteri Cardinales, quorum e-
 tiam non pauci Principum genere orti
 erant, hujus petitioni haud deferen-
 dum censebant. Instabat tamen im-
 portunius Cardinalis Aquaviva, qui
 universo Cardinalium Collegio expone-
 bat,